

determinarunt, ut hujus quoque modificationis occasione edendae circa totum opus Coordinationis Regni Congregationis altissimae Resolutionis Sua Majestas Sacratissima Benignam Reflexionem habere dignetur.

Articulus Septimus.

De renovato homagiali Petito quoad Effectum Legum Cambialium in Confiniis quoque Militaribus rite procurandum.

Ex quo hactenus ad demissum Petitum SS. et OO. intuitu procurandi in Confiniis quoque militaribus Legum cambialium Effectus e postrema generali Regnorum Congregatione Suae Majestati Sacratissimae substratum nulla adhuc supervenisset altissima Resolutio Regia, SS. et OO. per quam Tribunal Cambio Mercantile Carlostadiense de eo quod novae idmodi non observatae Legis Cambialis disponi utpote neglectae per Caesareo Regium appellatorium Forum Vienne in causa admonitionali Fratrum Lakenpacher contra Simeonem Stanissich Confinii Petrovaradinensis Incolam Executionis Casus intervenerit, edocti, Suam Majestatem Sacratissimam eatenus denuo interpellandam esse determinarunt.

Articulus Octavus.

De expetita actorum nationali lingua concinnatorum per Suam Majestatem Sacratissimam et altiora Dicasteria acceptione.

Ex incidenti, quod ad iteratas SS. et OO. homagiales Praeces intuitu Actorum Lingua Nationali concinnatorum citra praevis instituendam eorundem in Partibus non sine gravi Regnicolarum Praejudicio ac temporis remora versionem, tam per Suam Majestatem Sacratissimam quam et alia quoque altiora Dicasteria in pertractationem assumptionis hocve scopo denominandorum sufficienti numero Interpretum SS. et OO. nulla adhuc Resolutione Regia consolati sint, praeces suas altissimo obtutui eatenus denuo atque iterum substernendas ordinarunt.

Articulus Decimus.

De Lingua Nationali intra ambitum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae ad gradum Diplomaticae elevata — expetitaque eatenus Sanctione Regia.

Dum Anno 1805 pro usu officiosorum negotiorum SS. et OO. Regnorum horum Linguam latinam introduxerunt, hancque statuto municipali in sensu Art. 120, 1715. condito, altissimeque approbato, eo duntaxat scopo praemuniverunt, ut Regna haec contra impendentem Linguae hungaricae introductionem certa tutaque reddantur, nequaquam vero Suae Nationalitatis Evolutioni Limitem ponere, ac propriae Suae Nationalis Linguae progressum praeccludere voluerint, hoc ipsum eo etiam confirmantes uberrime, quod Lingua Nationalis in Consultationibus pu-